

LIEBEN
1
57

- 1 Erhardus S. Rom. Imperij Comes Truchses de Wetze
hauson S. Cas. Maj. Camerae a puriore Ecclesia
Deoius ostensus Diss. theol. prof. G. Fitis D. et
M. Rubertho Othonis Helmst. 1652
- 2 Desiderium et studium concorior Eccles. G. Calixti 1650
- 3 De fide & operibus S. patris & Doctoris Aurelij
Augustini Episcopi Hipp. liberung edit. a D. Hennichio
A. dissertatio de hoc argto Eiusde Aut. Henn. 1652.
- 4 Dissertatio de Majestate Civili D. Joh. Hennichij
de sacris publicis, templis & diebus festis endirio
Autore M. Ioan. Hildebrandi Helmst. 1652
- 5 De cultu S. Virg. Mariae ap. Pont. G. Calixt. 1650.
- 6 de primatu Rni Pontificis G. Calixt. 1650.
- 7 de S. Sera, prof. G. Calixto Aut. et Res. M. Edwardo 1649
- 8 de justificatione hom. coram iudicio Dei. G. Calixto
Resp. M. Gerh. Fitis. 1650.
- 9 de controversijs q̄ circa Eucharist. inter Catho
licos protestantes et Pont. incedunt proside
10 D. Gerh. Fitis Resp. Fr. Ur. Calixto p. p. 1652
- 11 de S. Sera. ps. D. Gerh. Fitis Resp. Fr. Ur. Calixt. 1650
- 12 de S. Trinitat mysterio ps. Gerh. Fitis. et Fr. Ur. Calixt.
- 13 de immortalitate aīe G. Fitis. et Fr. Ur. Calixt. 1650
- 14 de Supremo iudicio & eterna beat. G. Fitis. et Fr. Ur. Cal.
- 15 de prædestinatione G. Fitis. D. K. Conradiffel 1650

- 16 de Deo ejusq. Attrib. p[ro]f. Fr. W[il]h. C[on]r. D. Theol.
cum q[uest]ione An Jud. et Muham. ab Idololatriā
sint alieni. 1653.
- 17 de peccato ejusq. differentijs p[ro]f. Gerh. Tit. D.
- 18 de auxilijs divina grācie ad q[ue]r[en]d[um] et perseverāam
in fide & sanctitate n[ost]r[um]. p[ro]f. G. Tit. D. 51.
- 19 de justificāōe p[et]ris corā Jud. Ser. p[ro]f. G. Tit. D. 1651
- 20 de meritis opum p[ro]f. G. Tit. D. 1651.
- 21 de Saer. Baptismi p[ro]f. G. Tit. D. 1652.
- 22 loca nonnulla ep[iscop]i Theol. Georg. Alexi ad disputand[um].
proponunt p[ro]f. G. Tit. & Fr. Gesenio. March.
- 23 de simplicibus entis affectuibus p[ro]f. G. Tit. 1649.
- 24 de n[ost]ra Theol. p[ro]f. Balth. Cellario D. 1651.
- 25 Diss. 1. qua introductio in theol. proponit sub p[ro]f. p[ro]f.
M. Petri Musari P. P. Rint. 1649.
- 26 Diss. 2da de S. P[er]ia absolute considerata, p[ro]f. p[ro]f.
- 27 Diss. de dicto Joh. 1. v. 1. In principio. p[ro]f. Ab. Calovio
- 28 Diss. Inaug. de jejunio, Rostochij sub p[ro]f. Joh. C[on]r.
manno S. S. Th. D. K. Nic. Bannigij 1642.
- 29 de termino vitæ sub p[ro]f. Balth. Mentzeri S. Th. D.
Kinthelij 1647.
- 30 de peccato originis sub p[ro]f. Henr. Mart. Eccardo
& Th. D. Kinthelij 1651.
- 31 de paenitentia tractat[us] ex hebr. in lat. convers[us]
M. Joh. Hilpert. Helm. 1651.
- 32 Vari et admirandi veneficis illati affectu historia
Brunf. 1648.

~~17 Abs~~
Hochschule

Experimentelles Werk

25 Blätter



DISPUTATIO THEOLOGICA

XIIIX 18

De

AVXILIIS DIVINAE
GRATIÆ TAM AD CON-
VERSIONEM QVAM PERSEVERAN-
TIAM IN FIDE ET SANCTITA-
TE NECESSARIIS

Q V A M

AVSPICE DEO OPT. MAX.

SUB PRAESIDIO

GERHARDI TITII
S. THEOLOGIÆ DOCT. ET
PROFESSORIS ORDI-
NARI

Die Martij

T 167

IN ILLUSTRIS IVLIA

Publicè disputandam proponit

ANDREAS RVDOLPHI

Hakenstadio-Magdeburgensis.



HELMÆSTADI,

Typis HENNINGI MULLERI

ANNO MDCCXXII

Handwritten notes on a piece of paper pasted onto the bottom right of the page, including the name 'Henning Müller' and other illegible text.



DISPUTATIO THEOLOGICA

AVXILII DIVINAE
GRATIAE TAM AD CON-

VERSIONEM QUAM PRAESERVA-
TIONEM IN RIDE ET SANCTITA-

TE NECESSARIIS

Q. N. M.

AVSTICE DEO OPT. MAX.

SUB PRAESIDI

GERHARDO THOMASIO

THEOLOGAE DOCT. ET

PROFESSORIS ORD.

NARII

Die Martij

IN ILLUSTRISSIMA

Publica disputatione proposta

ANDREAS KAVDOLTHI

Hakenstadie Magdeburgensis

1706

H. B. M. A. S. T. A. P.

Typis Henningi Milleri

ANNO MDCCVI





DE

AVXILIIS DIVINÆ GRATIÆ
TAM AD CONVERSIONEM, QUAM
PERSEVERANTIAM IN FIDE ET
SANCTITATE NECES-
SARIIS.

Gratia vox ambigua est, & diversas ad-
mittit significaciones. Tribus tamen mo-
dis præcipuè capitur. i. pro *gratuito favo-*
re, quo Deus homines peccatores prose-
quitur, quomodo in articulo de Iustifica-
tione capi, Doctores nostri alibi ostendunt.
ii. pro *donis gratuitis*, quæ per metonymiam effecti pro
causa, vocantur *gratia*, quod gratis dentur. Et hæc rur-
sus dividuntur in *administrantia* & *sanctificantia*. Illa di-
cuntur, quod conferantur Ecclesiæ ministris, ut ministe-
rio verbi ad quod vocati sunt, dexterè defungi queant,
qualia sunt cognitio linguarum, donum interpretandi
Scripturas, confutandi hæreticos, simplices in fide con-
firmandi. De quibus Paulus Ephes. iv, 7. *unicuique no-*
strum data est gratia juxta mensuram donationis Christi; Et
i. Cor. xii, 4 & seqq. Hæc ita vocantur, quod ad vitæ
sanctitatem sint necessaria. Suntque rursus vel *habitualia*,
ut fides, spes, charitas, de quibus agitur i. Cor. xiii, vel
actualia, quæ nihil aliud sunt, quam motus & operationes
A 2 Spiritus

Spiritus Sancti, quibus in hominibus convertendis intellectum illuminat, voluntatem movet, flectit; in conversis autem, fidem & cætera collata dona conservat, fovet, & si deliquium interdum patiantur, suscitatur (*ἀναζωογονεῖ*) & subinde adauget. *III.* & rarius pro *gratiositate* seu comitate illâ, quâ quis hominibus sese reddit amabilem. Quomodo dicitur Luc. II, 52, *Iesum profecisse gratiâ & sapientiâ coram hominibus.*

II. Et tertia quidem acceptio nostro instituto non congruet. Prima autem & maximè media, præsertim prout denotat dona sanctificantia actualia, in considerationem nunc veniet. Cardo enim totius nostræ Diatribes vertetur in hoc uno; gratiam Dei sanctificantem actua-lem, tam initiò ad ipsam Conversionem, quàm ad progressum & perseverantiam in fide & pietate summè & ita esse necessariam, ut sine eâ hominis vires sibi relicte *nihil* plane horum efficere valeant, juxta illud Servatoris; *Sine me NIHIL potestis*, Ioh. xv, 5. Quem in locum pulchre S. Augustinus, tract. 81 in Iohann. *Non dicit, sine me parum potestis facere, nec dicit, non potestis ardui aliquid sine me facere, vel difficulter sine me poteritis, sed nihil sine me potestis. Nec dicit, sine me non potestis perficere, sed nihil potestis sine me.* Hæc, inquam, generalis nostra thesis erit, statim pluribus ordine explicanda.

III. Notum est ex Scripturis, hominis communi & carnali modo ex Adamo progeneri tantam esse miseriam, quæ omnem dicendi facultatem excedat. Non tantum enim ille *concipitur in peccatis*, sed *nascitur quoque caro de carne*, est *naturâ filius iræ*, nec potest ingredi in regnum cælorum, Psal. LI, 7. Ioh. III, 5, 6. Ephes. II, 3; incumbente scilicet ipsi reatu inobedientiæ primi generis nostri fatoris. *Per unum enim hominem, in quo omnes peccarunt, peccatum in*

MMI

mundum transit, & per peccatum mors, Rom. v, 12; nec temporalis tantum illa moriendi necessitas, sed illa quoque mors, quæ vitæ æternæ opponitur, Rom. vi, ult.

IV. Neque verò reatu tantum peccati primi parentis urgentur communi ex eo modo prognati omnes posterii, sed cum ipse Adam, qui conditus erat ad imaginem Dei, consistentem in sanctitate & iustitiâ, Ephes. iv, 24. si in statu integritatis perstitisset, ex primâ Dei institutione & ordinatione genuisset posteros paribus animæ simul ac corporis dotibus coruscantes; nunc mutatâ vice, gignit filios *secundum imaginem & similitudinem suam*, Gen. v, 3, ut nunc postgeniti abnepotes *terreni* sint & *tales, qualis ille erat post lapsum terrenus*, I. Cor. xv, 48.

V. Nihil nunc dicemus de privatione felicitatis Paradisiacæ; de difficultatibus laborandi & pariendi doloribus cum vitæ periculo conjunctis, Gen. iii, 16, 17, 24; nec adducemus quod ipsæ facultates animæ post lapsum adhuc reliquæ, in actionibus suis quantumvis naturalibus admodum sint debilitatæ; quod de actibus tam intellectus in perscrutandis rebus physicis, quam voluntatis in servandâ saltem naturaliter notâ honestate, præter quotidianam experientiam tot sapientissimorum quorumque ab omni ævo querelæ testantur. Illud teterrimum omnium est, quod extremam illam miseriam & Iliada malorum, æternam scilicet animæ atque corporis perditionem, inquam per peccatum Adami incidimus, naturaliter ignoramus miseri, ut & media eluctandi, quæ Deus pro immensâ suâ *Φιλανθρωπία* ordinavit & subministravit. Unde nec quicquam eorum desideramus aut appetimus, sed quia mens existimat naturæ conveniens esse communi illâ forte nasci, nec novit se iræ Dei & æternæ damnationi subjacere, voluntas quoque deses est & acquiescit, nec unquam

unquam anhelat, quin nec anhelare potest ad remedia,
malo quo immersa est tollendo idonea.

VI. Quemadmodum autem ad pernoscendam &
declinandam extremam miseriam nostram, ita quoque cir-
ca adipiscendam veram & summam felicitatem ejusque
media, & ignari sumus, & omni ex parte inidonei. Ete-
nim finem supernaturalem ultimum & summum absolute,
perfectissimam scilicet animæ juxta ac corporis beatitu-
dinem, quam non obstante lapsu Adami, ex merâ & in-
debitâ misericordiâ paravit DEUS ÿs, qui ipsum diligunt, nec
oculus vidit nec auris audivit, nec in cor hominis illa ascendit.
1. Cor. II. 9; hoc est, intellectus circa eam ignorantia pu-
ræ negationis laborat, nec ullum desiderium persentiscit
atque elicit voluntas. Nam id quoque denotari suevit
per locutionem, *in cor non ascendere*, Ier. VII, 31. Ezech.
XXXVIII, 10. Medium quoq; beatitudini illi consequen-
dæ destinatum (mortem scilicet, & satisfactionem Filii
Dei, præter quam *non est aliud nomen res, modus, sub celo,
in quo oporteat salvari*, Act. IV, 12.) non tantum idem in-
tellectus æquè novit cum ignarissimis, sed si per revelatio-
nem ipsi, non nisi naturalibus suis viribus instructo &
relicto primùm illud offeratur, absurdum & incon-
veniens apparet. Sanè prædicatio de Christo crucifixo
Græcis videbatur stultitia, 1. Cor. I, 23. Nec petulantiam
splenis continere poterant *χλευαίζοντες τινες*, Act. II, 13. cum
audirent Apostolos loquentes magnifica Dei facta circa
redemptionem generis humani. *Festus* autem cum audisset
Paulum differenter de passione & resurrectione Christi,
& quod ille *lucem allaturus esset non populo judaico tantum, sed
gentibus quoq;* *insanis Paule*, dicebat, *multa litera ad insaniam
te adigunt*. Act. XXVI, 23, 24. Adeò animalis homo non
*percipit ea que sunt Spiritûs Dei, sunt ei stultitia, nec potest co-
gnoscere;*

gnosceret; quin nemo principum seculi, i. e. naturali acuminē
& eruditione humanitus acquisitā præstantissimorum,
hæc cognovit, I. Cor. 11, 14. Hinc intellectus nondum
renatorum in Scripturis sæpius vocatur tenebra, & gentes
dicuntur cogitationem habere obscuratam, habere ignorantiam,
Ephes. v, 8. iv, 18.

VII. Ex viribus intellectus facile iudicium fieri
poterit de viribus voluntatis. Quomodo scilicet deside-
rabit aut appetet aliquis, quæ pro nugis & delirantium
somnia ipse habet? Vnde disertè rursus scriptura volun-
tatem docet esse alienatam à vitâ Dei propter ignorantiam in-
tellectus, Ephes. iv, 18. esse inimicitiam adversus Deum, nec
posse subiei legi Divina, Rom. viii, 6. esse mortuam in peccatis,
Ephes. ii, 5. servam peccati, quæ phrasis determinationem
eius ad malum importat, Rom. vi, 20. cor lapideum, Ezech.
xi, 19. cor pænitere nesciam, Rom. ii, 5. Quin totam vim
appetitivam, quanta quanta est, ad non nisi malum unicè
propendere Spiritus Dei nos docet, Gen. vi, 5.; *Omni i-*
maginatio cogitationum cordis humani, tantum est mala omni
die. Et rursus; *cogitatio cordis humani mala est à pueritiâ*
suâ, viii, 21. S. Paulus Rom. iii, 9. 10. seqq. de Iudæis
pariter & Græcis, in solâ naturâ suâ qualem à parentibus
traxerant consideratis, gravissimè pronunciat; quod ne-
que in intellectu eorum sit cognitio Dei, nempe qualis
ad salutem esse oportebat; nec in voluntate desiderium
inquirendi voluntatem Dei, nec ullus amor boni & iusti.

VIII. Rei ex Scripturis ita manifestæ placet nihilo-
minus subungere eruditissimum discursum Præceptoris
nostri Dn. D. Calixti, τὸ πᾶν. *Evidens est argumentum,*
inquit ille; Quod è principis lumine nature notis non potest MSS. de
deduci & evinci, ei etiam ab intellectu non nisi naturalibus viri. grat. &
bus sive naturali intelligendi facultate instructo firmus & immo. predest.
tus ad-

ius ad sensus præberi non potest. At nullus fidei articulus peculiari divinâ revelatione patefactus è principis lumine natura notis educi vel evinci potest, Ergo. Sicut autem naturales intellectus vires superant & excedunt articuli fidei, quatenus sunt verum supernaturale; ita quoque voluntatis, quatenus sunt bonum supernaturale, in quod per fiduciam & spem & amorem, qui voluntatis actus sunt, recumbere & inniti oportet. Pari ratione, pergit, concupiscentia (quæ postea in renatis quoque superest) pertinacior fertur impetu, majoribus etiam objectorum varietate & illecebris, quibus demonum quoque hominibus insidiantium accedunt astus, irritatur, quàm ut hæc omnia per vires natura queant superari, quod Pelagii olim impium erat dogma; peccatum ne dominetur ei, auscultetur comprimi, caro cum affectibus & cupiditatibus crucifigi, atque adeò sanctimonia, sine qua nemo videbit Dominum, præstari, & corpora nostra Deo hostia viva, sancta, accepta sisti. Hæc ita ille, & nos cum ipso.

IX. Breviter; Intellectus hominis non renati, non habet ullas vel minimas naturales vires, ut articulis Christianæ religioni propriis, & in specie divinis promissionibus de gratuitâ remissione peccatorum salutarem assensum ullâ ratione præbere possit; Voluntas itidem nullas habet per naturam suam vires, quibus bona spiritualia, qualia sunt gratia Dei, remissio peccatorum propter Christum, vel tantillum salutariter desiderare, appetere, aut ullo conatu in ea ut acquirenda tendere valeat. Idem esto iudicium de facultate circa superandas carnis, mundi, atque malorum Dæmonum suggestiones. Et hoc est quod Aug. Conf. paucis hisce verbis effert: *humanam voluntatem non habere vim sine Spiritu Sancto efficienda justitia spiritualis.* Item; *naturam non posse interiores motus efficere, ut timorem Dei, fiduciam erga Deum, castitatem, patientiam.*

X. Hisce

X. Hisce ita disputatis, superest ut firmiter statuamus, ad hoc, *ut aperiatur oculi hominum ad sese convertendum à tenebris ad lucem, & à potestate Satanae ad Deum, ut remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos accipiant per fidem, quae est in Christum, uti habetur Act. xxvi, 18; opus esse non tantum peculiari revelatione, quae primævam conditionem & post secutam miseriam nostram, & qualis hæc qualis illa sit exponat, Dei voluntatem & per misericordiam ejus ordinata reparationis media offerat, sed & insuper necessariam esse actualem & intus in animo operantem gratiam atque auxilium Spiritus sancti, quod cor aperiatur, & in peccatis mortuum vivificet, Eph. ii, 5. Act. xvi, 14. cor novum creet, Ps. li, 9. det cor novum, spiritum novum, auferat cor lapideum, & donet cor carneum, Ezech. xxxvi, 26. creet ad bona opera, Eph. ii, 10. incipat bonum opus, Phil. i, 6. operetur in nobis velle & perficere, ibid. ii, 13; uno verbo, novas plañe vires homini conferat, quibus ille pœnitentiam agere & credere, atque ita è statu iræ in statum gratiæ transferri possit. Unde Conversionem rectè describas; immutationem in hominis intellectu, voluntate & appetitu à Spiritu sancto per verbum operante factam, quã homini vires conferantur, quibus revelationibus divinis ad salutem creditu necessariis, & præsertim promissionibus de conferendâ remissione peccatorum propter Christum, firmiter possit credere, mandatis quoque divinis obsequi, & quibus actu etiam, ut ad salutem oportet, credat & obsequatur. Quamprimum enim *ἀνομιὰ* ad bona spiritua- lia agnoscenda & amplectenda concipitur in homine sublata, & novæ vires menti & voluntari collatæ, concipitur etiam idem conversus & renatus.*

XI. Ut verò tota res distinctiùs intelligatur, animadvertendum erit duplicis generis actus venire hic di-

B

stin-

stinguendos: alios *externos*, quales sunt ardere desiderio
audiendi doctrinam & placita Christianorum sub ratio-
ne rei alicujus novæ, aut scitu non indignæ vel injucun-
dæ, quomodo Stoici illi & Epicuræi Act. xvii, 20 *vole-
bant audire doctrinam Pauli, quod peregrina quadam auribus
suis ingereret*; legere Christianorum libros, & sacris eorum
interesse; *internos* alios, qui conversionem intrinsecè con-
stituunt, ut sunt illuminatio intellectûs, & vivificatio si-
ve præparatio impotentis & ad bona spiritualia emortuæ
voluntatis. Priorum respectu homo nondum renatus
habet vim & indifferentiam agendi & non agendi. Et
hoc extra controversiam hodiè positum est. Postero-
res verò quod attinet, nos quidem soli Deo eos adscribi-
mus, & in manu hominum positos, ad majorem Dei glo-
riam strenuè negamus. Interim dicimus, si priores illos
actus homo præstet, quos ab ipso Deus præstari quoque
vult, priusquam ad dona & auxilia supernaturalia pro-
gressus fiat, certè quoad modum ordinarium, tum, Deum
speciali sua gratiâ & auxilio præsto futurum, & mentem,
si malitiosa repugnantia absit, per verbum illuminaturum,
voluntatem moturum, cor lapideum tacturum, circum-
cisusum, & cor carneum largiturum, ut ex repugnante an-
teâ & incredulo, fiat credens, ex servo peccati liber, & man-
cipium justitiæ Rom. vi, 18 Postquam verò novis illis & cœ-
litus affusis viribus instructa & à Domino præparata fuerit
anima, poterit illis ipsis ulterius liberè uti ad fidei & novæ
vitæ incrementum. Poterit instare meditando, orando,
cum carne conflictando ut ita renovetur *interior homo de die
in diem* II. Cor. iv, 15. Atq; hæc est Orthodoxa de Conver-
sione hominis sententia. Quæ quamvis per se fundatissima
sit, suffragia nihilominus ei adijcientes, audiemus gravissi-
mos quosdã partis nostræ Doctores, Doctissimus Chemni-
tius

tius Exam. Conc. Trid. de lib. arbit: ad primam effectiorem ad sess. 6.
Spiritualis efficacia & facultatis ad Spirituales actiones in no- p. m. 218.
bis, mens & voluntas ex naturalibus suis viribus EFFECTIVE
nihil conferunt, sed potius mere passivè sese habent. Con-
sentit Dn. D. Calixtus MSSro de gratia & Prædestinatio-
ne: Vires humana, inquit, ad primam gratie receptionem,
à quâ preventa & excitata denominantur, se non habent nisi
passivè. Et Henricus Höpfnerus; ad illas actiones (illumi- Sax.
nationem, & excitationem sui) voluntas se mere passivè habet, Evang.
unde illas etiam divinitus oblatas necessariò sentit. Sunt sci- pag. 520.
licet primi illipij motus (de quibus dicemus §. XVI.) irre-
sistibiles, in quantum nostram deliberationem antever-
tunt, ut in nostrâ potestate non sit, impedire ne oriantur.
Quamvis, postquam exorti sunt, resisti ijs, & ne radices a-
gant impediri vel planè suffocari possint. Pergat verò
Chemnitius, & cætera prioribus addat. Simpliciter enim
relinenda sunt hæ sententia; Non à nobis ipsis tanquam à nobis
ipsis, sed à Deo est idoneitas nostra. Sinè me NIHIL potestis.
Quid habes quod non accepisti? Quando verò scintilla aliqua
illius efficacia per Spiritum Sanctum in nobis est accensa, tunc
aliquid agit in rebus spiritualibus mens & voluntas in homine.
Et hoc est cooperari gratiæ, live operari per gratiam juxta
illud Pauli, 1. Cor. xv, 16, gratia Dei mecum.

XII. Ex hisce omnibus autem ritè perpensis, id nunc
judicare in proclivi est, quam malè parci divinæ gratiæ æ-
stimatores hodierni sint Pontificij, (nam de veteribus Pe-
lagianis & Semipelagianis utpote nimium remotè hic
aberrantibus hâc vice non dicemus) qui etsi ab hæretico
Pelagio in eo quidem abeant, quod ad conversionem ho-
minis admittant necessitatem divinæ supernaturalis & in-
tus in animo operantis gratiæ, libero tamen arbitrio tri-
buunt vires quasdam reliquas ad efficiendas actiones spi-

rituales, quas saltem exserere non possit, antequam vincula peccati quibus ligatum sit, per gratiam Dei prævenientem fuerint soluta. Quam suam sententiam non nulli declarare amant similitudine petitâ ab aviculâ, quæ alis innodatis retineat potentiam volandi, usu saltem & exercitio ab injectis vinculis intercepto. Quod si quis vincula præscindat, eum hoc ipso novam volandi *δύναμιν* aviculæ non largiri, sed saltem impedimenta removere. Iuxta Pontificios itaque liberum arbitrium non amisit vires & facultatem sese convertendi ad Deum, sed impeditur saltem usus & exercitium facultatis ei per naturam adhuc inexistens per injecta vincula peccati. Quæ quando à gratiâ Dei solvuntur tùm, dicunt, liberum arbitrium suis viribus sese ad Deum posse convertere. Atque ita porrò causa conversionis proxima immediata & per se juxtâ ipsos erit liberum arbitrium; gratia verò Dei tantùm causa, quæ removeret impedimentum. Quæ explicatio profectò immane quantum abest ab eo, ut exhauriat *ἐμφανῶς* oraculorum Scripturæ, qualia hæc sunt & similia; *Non sumus idonei ad cogitandum quicquam ex nobis tanquam ex nobis, sed omnis idoneitas nostra ex Deo est. Deus vivificat mortuos in peccatis, dat cor plane novum &c. Quid habes, quod non acceperis? Sine me NIHIL potestis; Deus operatur in nobis & VELLE & perficere pro bonâ voluntate.* Quæ ultima ver-

Declar. de l. arb. pag. 659. ba, ut rectè judicant Autores Form. Concord. omnibus piis mentibus, quæ scintillulam aliquam & desiderium gratiæ divinæ & æternæ salutis in cordibus suis sentiunt eximiam consolationem adferunt. Certi enim sunt, quod ipse Deus initium illud veræ pietatis tanquam flammulam in cordibus ipsorum accenderit: quodque velit eos etiam in magnâ infirmitate porrò confirmare & juvare, ut in verâ fide ad finem usq; perseverent.

XIII. Est Deus O, M. pater ille misericordiarum sal-
vator

vator omnium hominum, maximè verò fidelium, 1. Tim. iv, 10. & seriò vult neminem perire, sed omnes ad respicientiam tendere, 11. Petr. ult. 9. Vnde non tantum Filium suum in mundum misit eâ intentione, ut ille sese daret in pretium redemptionis pro quibusvis, sed hoc quoque promereretur, ut testimonium illud suis temporibus propalaretur, 1 Tim. ii, 6. Et quoniam placuit fidem conferre per auditum verbi, Rom. x, 17 voluit quoque, ut in omnem terram exiret sonus Apostolorum, & in fines terra verba eorum, Rom. ibid; ut evangelium prædicaretur omni creatura sub cælo Coloss. i, 23 unde etiam Deus inventus dicitur illis qui ipsum non querebant, & conspicuus factus illis qui de ipso non interrogabant, Rom. ibid. 20; sed profligatâ suâ vitâ tantâ gratiâ indignissimos sese reddiderant. Quibus omnibus tam universalibus & liquidis Scripturæ dictis, simpliciter & ut jacent ac sonant acceptis fidem uti par est substringentes, non tenemur ostendere quomodo in singulis vicis, oppidis & angulis mundi quâ sol utrumque recurrens adspicit Oceanum, unicuique evangelium sit prædicatum, aut certè fama ejus ad singulos in individuo pervenerit. Servator sane discipulos suos post resurrectionem allocutus, prædicare, inquit, evangelium omni creatura. — Illi autem (addit Evangelista) prædicarunt ubique, Domino cooperante, Marc. xvi, 15, 20.

XIV. Neque verò tum tantum sed hodiè quoque Dominus verbo illi suo *συνεργῶν* cooperatur. Est enim evangelium potentia Dei ad salutem, Rom. i, 16. est sermo ille per quem creditur, Ioh. xvii, 20 est verbum illud, quod nunquam redit vacuum, Es. lv, 11, à quibuscunque tandem & quacunque intentione prædicetur, Philip. i, 18. Undè rectè alicubi scripsit Chemnitius; *semper tenenda est hac regula, Spiritum Sanctum esse efficacem per vocem Evangelij auditam*

LL. comm.
de lib. arb.
p. 194. edito
& co- in fol.

& cogitaram. Est enim hoc peculiare plane verbo Dei præ
quovis alio sermone, quod nativam atque insitam habet
divinam quandam virtutem, profectam ab autore suo Spi-
ritu sancto, agente cum eo lecto, audito, ruminato, speci-
ali gratia & illuminatione, per quam de vero dictorum, &
cum intellectu divino congruente sensu, ut & de infallibi-
li eorum veritate homo convincatur, atque ita circa cre-
denda eliciatur assensus, circa agenda vero inclinetur vo-
luntas & sanctificentur affectus. Hanc vim atque *ἐνεργειαν*
verbo divino ordinariè conjunctam & quasi innexam atq;
indivulsam S. Iohannes elegantissimâ appellatione *unctio-*
nis, expressit. *Vos*, inquit, 1. epist. 11, 20 *unctionem habetis*
à Sancto ille, & novistis omnia. Et vers. 27, *unctio quam acce-*
pistis, manet in vobis, nec necesse habetis ut quisquam doceat
vos. Et rursus, *unctio docet vos de omnibus.* Quemadmo-
dum enim in unctione olei corpora confortantur, & agi-
lia prompta atque alacria redduntur, ita à gratiâ divinâ quâ
Spiritus sanctus mediante ordinario suo instrumento,
verbo, in animos audientium agit, illi ipsi corroboran-
tur, novas vires accipiunt, ut in ijs quæ creditu & factu ad
salutem sunt necessaria promptè sese Deo subijcere queant.
Nec prætereunda est suppar priori appellatio, quâ verbum
Dei *femina* mulieries, quin *femina* etiam *vivi* titulo, 1 Petr.
1, 23 commendatur. Ut vel hinc intelligas esse rem viva-
cem & quasi vegetabilem, quæ in solo mentis saltém non
contumacis sparsa, statim comprehendat & sese explicet,
nec nisi agri ipsius vitio suffocetur. Et verò, nisi talem
vim, *ἐνεργειαν* atque pondus *τῆς δυναμὸς τοῦ λόγου* Deus adderet,
frustra & in cassum foret omnis prædicatio. Cum enim
intellectus humanus sibi relictus non valeat firmum atque
immutum ad sensum præbere assertionibus inevidentibus,
quales sunt omnes illæ, quibus fidei nostræ mysteria pro-
ponun-

ponuntur, necessum est, ut divinâ ope & auxilio ultra natura-
les suas vires attollatur. Hoc auxilium, hanc grati-
am Deus verbo suo conjungit, ita ut ab eo nunquam absit,
imò nec unquam sine eo, si quidem de ordinario illumina-
tionis modo loquamur, adsit. Atque ita dum necessita-
tem divinæ specialis & intus in animo operantis gratiæ
adstruimus, nec tamen illam aliter, quam per verbum au-
ditum, lectum, atque ita sensibilibiter quasi tractatum sese
exserere affirmamus, impiam Pelagij hæresin declinamus,
& simul inopinatos vagosque maleferiatarum mentium
ἰδυσιασμοῦ repudiamus.

XV. Homo quidem in peccatis mortuus est, & o-
mnis ejus *carnalis cogitatio*, etiam cum sibi quam maximè
sapere videtur (*Φρόνημα τῆς σαρκὸς*) *immicitia est adversus*
Deum, Rom. VIII, 7 ut ita per naturam homo repugnet Deo.
Quando verò audit, legit, aut meditatur verbum Dei,
tum gratia Spiritus sancti verbo illi addita & quasi innexa
eum ita prævenit, ut facultatem non amplius resistendi ei
donet, quod per *tractionem* Ioh. VI, 44 *pulsam ad ostium cor-*
dis, Apoc. III, 20 & per *ablationem cordis lapidei*, Ezech.
XXXVI, 26 denotatur. Exemplo esse possunt irrisores illi,
qui Apostolos tanquam dulci Baccho plenos exagita-
bant, sed auditâ concione Petri *compungebantur corde* &
tandem *libenter acceperunt sermonem ejus & baptizati sunt*.
Act. II, 13, 37, 41. Homine scilicet saltem non contuma-
citer resistente, verbum porrò nativâ illâ suâ pollentiâ
magis magisque fructificat. *Ita enim est regnum Dei, ut sicut*
homo jaciatur semen in terram & dormiat atque exsurgat die ac
nocte, & semen germinet ac assurgat, quomodo ipse nescit. Spon-
te enim (*αὐτομάτῃ*) *terra fructum profert, primum herbam, de-*
inde spicam, deinde plenum frumentum in spicâ, Marc. IV, 26
& seqq. Idem sibi volunt verba Apoc. III, 20: *Ego sto ad*
ostium

ostium & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ostium, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum. Vbi per pulsum, gratia præueniens denotatur. Qui post illum pulsum *aperuerit* seu non amplius obicem posuerit & restiterit (aliter enim Deus aperit, Act. xvi, 14, illuminando scilicet & excitando; aliter homo,) ad eum intrat Christus, & majore gratia dignatur. Quando verò post auditum & intellectum verbum homo nihilominus pergit ei repugnare, illud subfannando, floccifaciendo, aut à sese abigendo, repugnantia illa utpote malitiosa & contumax ablatione verbi iuste à Deo (nisi forte extrà ordinem ei agere placeat) puniri & potest & solet. Ratio est, quod talis per acceptas jam ex auditu verbi novas vires poterat atque debebat amplius non repugnare. Hoc ipsum docemur verbis Christi apud Ioh. cap. xv, 22. *Si non venissem & loquutus essem eis, peccatum (contumaciæ) non haberent. Nunc autem non habent, quod prætexant peccato suo.* Et Matt. xxiii, 37. *Quoties vos volui congregare — sed nolulistis. Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta &c.* Vbi tamen verbo monemus, non statim contumaci repugnantia deputandum, si quis post auditum verbum & acceptam præuenientem gratiam per aliquod tempus suspendat assensum, & animus varijs præjudicijs constrictus non statim sese possit expedire. Vnde Apostolus quoque locutus de Atheniensibus, quibus prædicaverat, manifestò distinguit inter eos, qui ejus verba sannis exceperant, & qui dixerant; *audiemus te rursus hæc de re differentem.* Act. xvii, 32. Neque enim mirum est hominem in tali statu constitutum *duplici in diversum scindier hamo*; quæ tum solet esse vehementissima carnis atque spiritus lucta. Sed tùm Deus O. M. qui *incepit bonum opus*, fideliter quoque quantum in se est, *perseverare illud est paratus*, Phil. i, 6, modo homo strenuè depugnet,

gnet, nec ipse inchoatos bonos motus per malitiã & negligentiam supprimat, quomodo Felix, *differente Paulo de justitia & continentia & futuro judicio expavescebat*; sed quod auri sacra fames speraret pecuniam sibi datum iri à Paulo, ut dimitteret ipsum; *nunc quidem abi, dicebat, ceterum oportunitatem nactus denuò te accersam, Act. xxiv, 25, 26.* Quale hominum genus ulteriore gratiã semetipsum suo pte merito indignissimum reddit.

XVI. Diximus homini per auditum verbi conferri eam interiorem Spiritus sancti gratiam, in cujus virtute possit cessare ab exercitio naturalis repugnantia. Cessante vero istã repugnantia, nec homine aures ulterius obturante, Hebr. iii, 7 hanc esse porrò verbi efficaciam, ut majores subinde fructus producat. Et sane ita res est. Placuit benignissimo Deo, & liberaliter promisit largiorem gratiam adspirare ijs, qui primæ & prævenienti non resisterint, ne eam petulanter excusserint. Ita disertè Servator apud Matthæum; *Qui habet aures ad audiendum audiat. Quisquis enim habet, dabitur ei, & reddetur abundantior. Quisquis autem non habet, etiam quod habet, tolletur ab eo, xiii, 9, 12.* Confer. cap. xxv, 29. & Luc. iix, 18. Sanè regeneratio (actio illa Dei, quã in nobis per verbum producit fidem, re ipsa eadem cum conversione transitivè sumtã, si adultos spectemus) non est opus quod *εν ἀπόμω, εν πίπῃ ὀφθαλμῶ* consummetur & absolvatur, sed habet sua initia, suos gradus, & inter magnas infirmitates, tentationes atque luctas crescit & augetur.

XVII. Et primùm quidem cum conversio inchoatur, in mente excitari solet sancta quædam de rebus divinis cogitatio, conjuncta cum voluntatis pio quodam desiderio tendente in illa ut acquirenda. Tum verò haut segniùs caro incipit contrã niti, & in mente gravissimæ dubitationes,

C

nes,

nes, involuntate diffidentia, quin & averfatio eorum, quæ
Deus ab homine præftanda requirit, confurgere folent.
lib. 7. in- Quod ipfum graviter & difertè describit Christianorum
ftit. cap. 1. ille Tullius, Lactantius Firmianus. *Necessarium puto, in-*
quit, admonere lectores, quod hæc noſtra quæ tradimus, præva-
vitioſaq; mentes aut omnino non intelligent (hebetatur enim acies
eorum terrenis cupiditatibus, quæ ſenſus omnes gravant, imbe-
cillesque reddunt) aut etiamſi intelligent, diſſimulabunt tamen
& hæc vera eſſe nolent: quia trahuntur à vitiis, & ſcientes malis
ſuis favent, quorum ſua vitate capiuntur, & virtutis viam deſe-
runt, cujus acerbitate offenduntur. Nam qui avaritiâ, & opum
inexplebili quadam ſiti flagrant, quia non poſſunt venditis aut
dilargitis quæ amant, tenui cultu vitam degere, ſine dubio ma-
tunt id eſſe fictum, quo deſideriis ſuis rennunciare coguntur. Item
qui libidinum ſtimulis incitati (ut ait Poëta) in furias ignemq;
ruunt, utiq; incredibilia nos afferre dicunt: quia vulnerant au-
res eorum præcepta continentie, quæ illos à voluptatibus ſuis pro-
hibent, quibus animam ſuam cum corpore adjudicaverant. Qui
verò ambitione inflati, aut amore potentie inflammati, omne
ſtudium ſuum ad honores acquirendos contulerunt, nec ſi ſolem
quidem ipſum geſtemus in manibus, fidem commodabunt ei do-
ctrina, quæ illos jubet, omnipotentia & honore contempto, mites vi-
vere, atq; ita humiles, ut & accipere injuriam poſſint, & referre
nolint, ſi acceperint. Ii ſunt homines, qui contra veritatem clau-
ſis oculis quoquo modo latrant. Hæc ita ille de hominibus ex
impietate & incredulitate, cui totâ vitâ inhæſerant primû
eripiendis. Qui quidem utpote tot præjudiciis & vinculis
conſtricti, difficulter admodum convertuntur. Nihilominor,
ſi non major multò difficultas cernitur in ijs, qui poſt
conversionem denuò in peccata contra conſcientiam re-
lapſi, ad contritionem quidem perveniunt, ſed cum fiduci-
am rursus in Deum ejuſq; promiſſiones concipere jubentur,

sup, mltos pntes & mltos, sicut dicitur in 1. cor. 13. 2.

tur, præ *ὀλιγοψυχία* trepidant & resiliunt, *occultum quati-
ente animo tortore flagellum*. Cum autem & horum, & eorum
quoque, qui ita animo comparati erant, quales Lactantius
describat, non paucos conversos, & ad fidem perductos
experientia & olim & hodiè quoq; doceat, manifestum in-
de est, Spiritum sanctum immittas in corda gratiæ
scintillas, inter acerrimas & sæpè diuturnas tentationes at-
que luctas subinde fovere, corroborare & augere, donec
tandem intellectus ad assensum firmiter determinetur, &
voluntas in bona spiritualia, præsertim in summum illud
& præcipuum, quod est gratia Dei merito Christi parta, &
hic & nunc applicabilis promptius feratur, & in eo suaviter
acquiescat, & hoc est *cor contritorum vivificare* Esai. LVII, 15.

XIIX. Terminus itaq; Conversionis transitive sum-
tæ, est fides, non qualislibet, sed ea demum, quæ quis cre-
dit ad exemplum Pauli Gal. II, 20, se quoque propter
Christum remissionem peccatorum, & Deum in cælis ha-
bere propitium. Atque hæc est ipsa vita spiritualis. Est
enim fides quasi vita & anima hominis regenerati, Gal.
ibid. Hanc verò *fidem* Deus *reputat pro iustitiâ*. Rom. IV,
3, 5. Simul quoque *accipitur Spiritus adoptionis*, quo statim
aguntur filij Dei, **UT STUDEANT BONIS OPERI-
BVS, QVI CREDIDERVNT DEO**, Rom. VIII,
14, 15, Tit. III, 8. Ille porrò *Spiritus subleuat infirmitates
ipsorum; ille postulat pro ipsis suspiris inenarrabilibus*; ut scili-
cet *divina vis omnia donet quæ ad vitam & pietatem sunt ne-
cessaria*, Rom. VIII, 26. II Petr. I, 3. Et verò divina vis o-
mnia illa donat quæ ad vitam spiritualem sunt necessaria,
ita etiam, ut si quis auxiliis iis in quotidianis bonorum o-
perum exercitiis benè fuerit usus, majora subinde minori-
bus ei accumularet. Servator apud Iohan: XV, *Ego sum vi-
tis illa vera*, inquit, *& pater meus agricola est. Omnem pal-*

C 2. *mitem*



*mirum in me qui fert fructum, purgat, ut fructum copiosorem
afferat. Adde II. Petr. I, 10, 11. Atque ita tandem renati ha-
bitualiter boni fiunt, Hebr. v. ult.*

XIX. Cæterum quia non sufficit inchoare cursum
in hoc stadio, aut aliquod saltem spatium conficere, sed o-
portet *fidelem esse usq; ad mortem*, ut accipiatur *corona vite*,
Apoc. II, 10, ipsum quoque finalis perseverantiæ donum,
quoad benevolam affectum Dei & voluntatem, quam an-
tecedentem vocamus, omnibus credentibus est promif-
sum. Unde Apostolus de Philippensibus confidit, quod
*Deus qui cæperit in ipsis bonum opus, perfecturus sit usq; ad diem
Iesu Christi*, cap. I, 6. Et ad Corinthios scribit, *fidelem Deum
ipso confirmaturum usq; ad finem inculpato*, I. ep. c. I, 8. Adde
I. Thess. v, 23, 24. Ex quibus & illud haut temerè colligas,
Deum semper tantum gratiæ suffecturum, quantum incur-
santibus viatorem omnis generis tentationibus superan-
dis sufficiat. Apostolus ipse cum ardentissimè rogasset Deum,
ut horribilem tentationem *angeli Satanae colaphizantis à se se*
prohiberet, hoc tulit responsum; *sufficit tibi gratia mea, nam
virtus mea in infirmitate perficitur*, II. Cor. XII, 9. Habebat
itaq; gratiam, quæ tentationi, quantumvis vehementer in-
cumbenti superandæ sufficiebat. Et hanc gratiam fideles se-
riis precibus impetrare posse, credimus Scripturis, Matth.
VII, 7. Luc. XI, 9, 13. Atq; huic fini *oportet semper orare, nec
segnescere*, Luc. XVIII, 1. I. Thess. v, 17. Videatur Form.
Conc. edit. Lips. in octavo pag. 816.

XX. Omnibus verò illis quæ ex Scripturis hætenus
piè adstruximus, non adversissima tantum, sed internecina
planè est doctrina Calvinii & asseclorum, apertè pronunci-
antium, Deum, quantum in ipso est, nolle dare omnibus
hominibus gratiam ad conversionem & perseverantiam in
bono necessariam, eò quod plerosq; absoluto quodam &
horri-

horribili decreto æternis flammis destinaverit; quomodo
omne fundamentum spei & fiducia tentatis subvertitur.
Quam ipsam tamen in impietatem nolentes volentes inci-
dunt hodierni ut videri cupiunt mitiores, qui docent Deum
omnibus lapsis, & in specie reprobis quoque providisse, &
offerre media quædam evadendi damnationem, sed quæ
tamen non sint efficacia satis & proportionata fini illi con-
sequendo. Irresistibilem enim illam & *εξ ἑσῶν ἀποδίων* gratiam,
solis electis propriam, quâ solâ & unicâ positâ homo de-
mum convertatur, ipsis nolle dare, idq; ideò tantum, quia
sic lubet. Aut hunc in modum; Deum omnes homines
velle salvos fieri, si hoc credere possint. Istam verò creden-
di facultatem nec ex sese homines habere, nec Deum omni-
bus largiri velle. Quod æquè illusorium, & à seriâ volun-
tate procul est, ac si homini illi qui aridam manum habe-
bat, Marc. III, 3, opulentus aliquis dixisset, se ipsi daturum
centum coronatos, si manum illis apprehendendis extendere
possit. Longè verò aliud nos docet Scriptura. Servator ipse
Ioh. V, 34, *hec dico, inquit, ut vos servemini.* Et Deus apud
Esaïam LXV, 2: *Ecce ego, ecce ego ad gentem non vocatam nomi-
ne meo, expandi manus meas tota die ad populum perversum.* Con-
fer Rom. X, ult. Atq; hinc porrò, quod auditores verbi non
sint conversi, Scriptura culpam in ipsos devolvit, utpote
quod *resisterint Spiritui sancto*, Act. VII, 51. Luc. VII, 30, *o-
mnia quidem parata invenerint, sed noluerint venire*, Matth.
XXII, ne similia plura testimonia nunc adducamus.

XXI. Et verò ex iisdem clarissimis Scripturis simul
patescit figmentum esse gratiam illam conversionis irresi-
stibilem sive insuperabilem, quam Reformati cominiscun-
tur. Paratus est Deus omnibus largiri gratiam, in cuius vir-
tute à morte peccatorum resurgere, poenitentiam agere &
in Christum credere, quin & in bono perseverare queant,

ita tamen ut homini maneat libertas negandi assensum & operationibus gratiæ voluntarium obicem ponendi. Neq; enim placet Deo in hoc negotio absolutâ suâ potentiâ agere, sed ordinatâ, quæ sibi resisti patiatur. Et hoc ipsum in terminis, ut loquimur, testatur Scriptura. Sanctus Stephanus Act. vii, 51. *Vos, inquit, semper resistitis Spiritui sancto: Vos repellitis verbum Dei*, Act. xiii, 46. Spiritus itaque sanctus patitur sibi resisti.

XXII. Quin imò, si ponas gratiam ejusmodi determinantem & irresistibilem, & neges sufficere ad conversionem hominis eam per quam libera reddatur voluntas, ut semetipsam ad obsequium Evangelio præstandum flectere valeat, velis nolis, evertere necessum habebis, quicquid de Deo seriò vocante, & omnes servari volente, tam perspicuè inculcat Scriptura. Nam si quæ talis irresistibilis gratia esset, ea tum à solo Deo conferretur, & quidem absoluto quodam beneplacito, tum ad conversionem foret necessaria adeò, ut absque eâ hominem converti fuerit impossibile. Ponamus itaq; duos, Cajum & Seium, in eo pares, quod uterq; est in peccatis mortuus, omnibusq; viribus ad salutariter credendum destitutus. Vocentur ambo, & prædicetur illis Evangelium, & convertatur Cajus, Seius verò non convertatur. Quæras quænam hic causa subsit, Calvinista expedite proferet hanc, quod Cajus gratiâ irresistibili à Deo sit tractus, non item Seius. Fiat nunc argumentum. Qui non vult omnibus dare gratiam, quam solus potest dare, & sine quâ impossibile est hominem obtemperare & converti, ille etiam omnes vocatos non vult servari. Sed Deus non vult omnibus vocatis (v. gr. Seio) dare gratiam, quam solus potest dare, Ergo. Ulterius; Qui non vult omnes, quos verbo Evangelij ad salutem vocat servari, is etiam omnes quos vocat, non vocat seriò. Sed Deus non vult omnes, quos


quos verbo Evangelij ad salutē vocat, servari, Ergo omnes illos quos vocat, nō vocat seriō. Minor superiore syllogismo satis superq; probata est. Manifestum itaq; relinquatur, si ad conversionem hominis requiratur gratia irresistibilis, & negetur sufficiens esse gratia facultatem quidem præbens, sed necessitatem non imponens, everti quod de Deo seriō vocante & salutis omnium cupido asserit Scriptura. Stante verò nostrâ eaq; verâ sententiâ, quærenti quî fiat, quod duorum, quibus unum & idem verbum prædicatur, una eademq; gratia præveniens cor pulsatur, hic convertatur, alter verò non; in promptu est respondere, quod hic malitiæ suæ indulgens repugnet, alter gratiæ prævenienti obsecutus non repugnet. Apud hunc itaque gratiam efficacem esse; apud illum sufficientem quidem, sed inefficacem, idq; vitio ipsius subjecti. Sanè verum est, illos qui convertuntur, hoc ipso quod convertuntur, non resistere: quod unicum pleraque Reformatorum argumenta, sed incassum omnino, inferunt. Dicimus enim, quod potuerint resistere, & impedire, ne converterentur. Et hujus contrarium Reformatis probandum erat.


XXIII. Tandem notamus, quod quemadmodum clementissimus Deus à suâ parte nihil deesse patitur, ita nobis operam sedulò dandam, ne acceptam semel fidem & gratiam grandibus peccatis excutiamus, sed potius *cum tremore & timore salutem nostram operemur*, Philip. 11, 12. Possunt quidem lapsi interventu seriæ poenitiæ in priorem statum restitui, ut si deinceps, liberati à peccato servi iterum fiant justitiæ, (Rom. vi, 18) & ita in bono ad vitæ usq; exitum perseverent, salutis fiant compotes; quomodo virgines prudentes, quæ tamen & ipsæ antea dormitaverant, quod sub adventum sponsi alacres essent & excitatæ, cum eo ad nuptias intromittebantur, Matth. xxv. Cæterum
con-

Sess. 136. c. 5.
art. 4. 5. 6.

contingit quoque, ut morte citius præveniantur, quam ipsi gratiæ divinæ ad poenitentiam invitanti locum dederint; subtrahente etiam nonnunquam Deo, & justo quidem judicio, gratiam illam suam præfractis contemtoribus, juxta illud, Iohan. XII, 35, *ambulate donec lucem habeatis, ne vos tenebra comprehendant.* Reformati quidem negant hominem acceptam semel fidem & gratiam per peccata regnantia *totaliter* amittere, sed ea sententia adeò à clarissimis Scripturæ dictis, exemplis & cohortationibus est aliena, ut nihil possit magis. Synodus Dordracena ipsa putidam doctrinam non nisi cum luculentâ contradictione proponere potuit. *Verè fideles, inquit, non solum in peccata gravia & atrociora abripi possunt, verum etiam interdum justâ Dei permissione abripiuntur.* — Talibus autem enormibus peccatis Deum valde offendunt, **REATVM MORTIS INCURRUNT**, Spiritum sanctum contristant. — Deus tamen ex immutabili electionis proposito Spiritum sanctum etiam in tristibus lapsibus à suis non planè aufert, nec eò usque prolabi sinit, ut gratiâ adoptionis ac justificationis statu excidant &c. Ecce mysterium ex contradictoriis conflatum! Qui reatum mortis incurrunt, gratiâ nihilominus adoptionis & justificationis statu non excidunt. Qui potest capere, capiat. Nec opus est arietes ulterius admovere sententiæ semetipsam evertenti. Nos hîc pedem figimus. *Deus omnis gratia, qui vocavit nos ad eternam suam gloriam in Christo Iesu paulisper afflictos, is absolutos nos reddat, stabiliat, roboret, fundet, 1. Petr. v, 10.* Ejus gloria sit omnium actionum nostrarum supremus

F I N I S.







DISPUTATIO THEOLOGICA
De
 AUXILIIS DIVINAE
 GRATIÆ TAM AD CON-
 VERSIONEM QUAM PERSEVERAN-
 TIAM IN FIDE ET SANCTITA-
 TE NECESSARIIS

XIIX 18

Q V A M
 AVSPICE DEO OPT. MAX.

SUB PRAESIDIO
 GERHARDI TITII
 S. THEOLOGIÆ DOCT. ET
 PROFESSORIS ORDI-
 NARI


Die Martij

T 169

IN ILLUSTRIS IVLIA

Publicè disputandam proponit

ANDREAS RVDOLPHI
 Hakenstadio-Magdeburgensis.



HELMÆSTADI,
 Typis HENNINGI MULLERI

ANNO MDCCXXII.

Handwritten notes on a small piece of paper:
 Clarissimo et Excellentissimo
 Dno. M. Anr. Henr.
 ...

